

SOLIS AD OCCASVM REGI SVBIECTA PHILIPPO PARVATIBI MONSTRAT PVLCHERRIMA REGNA TABELLACZ

DE S C R I P T I O  
GALLIAE PARS



Regni Hispaniae post omnium  
editiones locupletissima  
descriptio  
Johann. Büschmecher. exc.  
Henricus Nagel fecit

& metalla, mel, cæra, piscosæ aquæ, & similia. Non coquunt salem sed effodiunt è terra. Non fatigatur terra tot ventis vt Gallia, nec inficitur aër pestiferis paludib. ac nebulis. Aurum, argentum & ferrum bonum & probabile nullibi in tanta copia vt in Hispania est inuentum. reperta namq; olim in Hispania sunt fragmenta auri depurati magnitudine dimidiæ libræ. Est & semper Hispania equorum pernicitate commendata, quos leuis armaturæ equites tibijs contractis pulchrè obequitant. Nomen magnum ab aliquot annis bellica fortitudine Hispani sunt adepti plurimis ab hoste partis victorijs, vt qui laborum, sitis & famis in acie sunt tolerantissimi, & in stratagematibus cautissimi, leui corpore, vt facilè hostem fugiant & sequantur. Oceani navigationibus ad incompertas regiones toto orbe sunt clarissimi. Habentur etiam Hispani in religionis ritibus supra mortales omnes superstitioni, per regis solium & vitam eius gentilicio more iurant, & osculo manuum in salutationibus supplicat. Porro de moribus & ritibus antiquorum Hispanorum Strabo & Posidonius mirascribunt.



E-22

## HISPANIA.



R Egnum hoc magnificentissimum vndiq; alluitur mari, excepta ea parte qua Galliam contingit, ibi altissimis montibus quos Pyreneos vocant, separatur à Gallia. Appellatur autem montes illi pyrenæi à crebris fulminum ignibus, vel quòd syluæ in Pyreneo frequentes & habitationes iniecto à pastoribus igne prisci temporis flagrauerunt. durante autem incendio aliquot diebus, ex montium concoctione cœperunt descendere stillicidia argenti liquefacti. & cum habitatores illorum locorũ vsum argenti nõ haberent, contemnerentq; metallũ illud, superuenientes mercatores è Phœnicia, emerunt vilibus mercibus magnam vim argenti. Diuisa fuit olim Hispania in tres prouinciãs, Beticam quæ hodie est Granata, Lusitanã quã nunc Portugalliã vocant, & Tarraconẽ quæ hodie cõtinet Cataloniã, Castiliã, Nauarrã & Galliciã. Fuitq; (si Iosepho & Beroso credimus) Tubal Noë nepos primus Rex Beticæ, extruxitq; in ea regione ciuitatẽ quam à se denominauit Tubal. Hic operam dedit rei pecuariæ, sicut omnes primi patres pecoribus alendis studuerunt, quæ & victum & amictũ homini ministrant. Hinc quoq; putant maiorem Hispaniæ partẽ appellatã Tarraconem, quæ cum Hebraicã vox sit, Latine boum possessionem significat. Successit Tubalo in imperio Iberus, à quo fluius quidã Iber est appellatus, & adiacens regio Celtiberia Betus à quo Beticã Hispanus seu vt aliqui malunt, Hispalus à quo tota terra postea denominata est Hispania. Hesperus à quo eadẽ terra Hesperia dicta. Lusus à quo Lusitania. Postea quã verò Romani sibi subiugassent Hispaniam, diuisa est in duas prouinciãs, Beticam & Tarraconensem, durauitq; partitio illa vsq; ad tẽpora Attilæ, tunc rursus alia administratione Hispania est gubernata. Nouissimè sub Saracenis discriminata est in quinque regna, Gallicam, Nauarram, Castiliã siue Legionem, Cataloniã cui & Arragonia annexa est, Portugalliam & Granatam. porro Gallica non diu proprium & distinctum mansit regnum: sed amisso legitimo hærede, incorporata est Tarraconensi. Alij adhuc plura numerant regna, Valentia, Toleti, Algarbiorum, Murtiæ & Cordubæ. nostro tempore omnia hæc regna in vnum contracta sunt, præter Portugalliam quæ proprium habet regem. Habet Hispania septem Archiepiscopatus, quorum sedes sunt in Tarracone, Cæsaraugusta, Tolecto, Compostella, Brachara, Vlixbona & Granata. alij nouem ponunt, sub illis sunt autem plurimæ episcopales ciuitates. Modico interuallo distant Granata & Mauritania. namque ibi ingreditur Oceanus per magnas angustias in mare Mediterraneum, vbi & duo mōtes eriguntur in cœlum, vnus in Mauritania qui Abila vocatur, & alius in Hispania cui nomen est Calpe, & hi à quibusdam vocantur columnæ Herculis, putantq; olim vnum fuisse montem seu saxum perpetuo iugo cõiunctum, quod Hercules suo robore persregerit, intro miseritque Oceanum in ipsam terram alij insulam Gades asserunt fuisse Herculis columnas. tertij in Gadibus fuisse templum Herculis, in quo positæ fuerint duæ æneæ columnæ altitudine octo cubitorum in quibus signatus fuit sumptus pro ædificio illius templi factus: & nauæ ibi Herculi sua soluerunt votã. fuitq; locus ille secundum veterũ opinionem finis Mundi, nec ausi fuerunt Hercules aut alij longius naues ducere in Oceanum citra vitæ periculum. Est autem Gades insula parua, habetq; tam pinguis pascuã, vt nullum serum à lacte segregent, sed cogantur astundere aquam, cum lac in caseum coagulare volunt. Multis quidem in locis Hispania inculta iacet, idq; ob saxum fundũ, vel ob solitudines squalerẽs, aut ob alias causas, quamuis multo quàm Africa sit fertilior. Suppeditat tamen Hispania multis in locis abundè ea quibus homo opus habet vt sunt frumentum, vinum, fructus, oleum, pecora, linum, ferrum

